

DISSERTATIO PHYSICA  
DE  
*DIFFRACTIONE LUMINIS.*

---

CUJUS PARTEM PRIMAM,  
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICO [EXAMINI SUBJICIUNT

*Mag. PETRUS EKENVALL,*  
PHYSICES DOCENS

&

*JONAS FORSSTEDT,*  
MEDELPADUS.

IN AUD. PHYSIC. DIE IV APRILIS MDCCCVII.  
H. A. M. C.

---

*ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.*

*Vice Borgmästaren och Rådmannen,*

Vålådle

*Herr ANDERS FORSSTEDT*

Samt

Vålådla Frun

*HELENA FORSSTEDT,*

Mine Huldaste Föräldrar!!!

*Eder godhet och ömhet tillegnas dessa blad. Emottagen dem,  
som ett svagt, men uppriktigt, bevis af den sonliga vördnad  
och tacksamhet, hvarmed jag i hela min tefnad skall framhärdas  
ett vara*

Eder

lydigafle Son  
JONAS FORSSTEDT.



**S**i radii lucis S F (Fig. 1) per parvum foramen in cubiculum valde tenebrosum transmittuntur et in speculum sive metallicum (a) sive vitreum, sic

A

dictum

---

(a) Quod specula tamen metallica attinet, afferre convenit, nobis ope eorum imagines, tam regulares, quam illam, quæ statim describetur, cuiusque descriptio ad imagines, speculis vitreis effectas, in primis respicit, elicere non contigisse: quæ tamen confusio non de ordine, situ, specie & numero colorum, sed de parallelismo eorum, sœpies haud accurato, intelligenda est. Inde non colligas, velimus, siere nequire, ut imagines ope speculorum metallicorum describendæ plane similes obtineri possint. Ad experimenta enim cum speculis non optimis, ex argento, stanno anglico & chalybe factis, instituenda coacti sumus. Præterea non alienum videtur commemorare, eadem experimenta docuisse, tam intensitatem, quam latitudinem colorum (intervallo inter specula & corpus, eos recipiens, eodem existente) pro diversa speculorum indole variare. Sed plura forsan de his olim.

dictum, F, quod erit planum, dimidium circiter linea<sup>e</sup> geom. Svec. latum et decem lineas longum (b), nec non nullis marginibus elevatis instructum, sub majori angulo incidentiæ, (quem cum perpendiculo consti- tuunt radii), incurront; observare licebit, (quod etiam prius notum est (c)), radios eosdem, qui a speculo refle<sup>t</sup>tuntur et in distantia non admodum parva ex- ciuntur charta alba ABCD, non vulgarem solum sequi legem reflexionis, jamdudum cognitam, (quæ nempe æqualitate anguloru<sup>m</sup> incidentiæ et reflexio- nis

(b) Qvam longum sit speculum, revera non facit ad rem: Specie<sup>s</sup> enim imaginis obtentæ, longitudine excepta, quæ, ut decet, pro altitudine speculi, si latis luminis in illud incidat, variat, eadem permanet. Cum latitudine vero speculi ita non est comparatum. Si una linea geom. Svec. latius sit; nullas distinctarum iridum, qvibus imago verbis infra depingenda superbit, quicumque sit angulus incidentiæ, oculis capere licuit, sed ex parte tantum illa imaginis, quæ utrinque umbræ adiacuit, color aurantius rubescens visus est; cum speculis vero (in primis a nobis adhibitis vitreis) diametrorum diversarum, una linea geom. Svec. minorum, irides illas radiorum reflexione assecuti sumus, attamen ita ut, quo minor fuit latitudo speculi, eo minus medium illud spectri album, mox dicendum, in latitudinem patet et eo clariores viderentur irides; sed latitudo ea- rum, pro eadem distantia & inclinatione radiorum, semper ubique eadem mansit, quoad sensu & mensura id cog- nosci potuerit.

(c) Videas P. I. dissert. Animad. in Theor. & exper. Cel. DU TOUR de diff. lum, cont. Aboe editæ 1803.

nis absolvitur), sed etiam ita dispergi, ut in charta hæ latiorem quandam depingere videantur imaginem, quæ spatium R<sup>u</sup> R<sup>v</sup> R R occupare concipiatur, eamque hac ratione visui sese offerre, ut, existentibus F R<sup>u</sup> & F R radiis reflexis extremis, intra illos spatia diversorum colorum conspiciantur. Sic animadvertes, medium totius spatii illuminati parteai, quæ per spatium v'v'vv repræsentatur, tinctam esse colore albido, qui tamen versus vv & v'v' ad colorem aurantium maxime accedit, si radii, imaginem depingentes, pro angulo incidentiæ majori, quam 70 gr., e speculi superficie reflectuntur, & longiore intervallo a speculo excipiuntur (d). Quod si angulus incidentiæ minor, 70 gradibus, vel distantia imaginis a speculo haud magna sit, albedo hujus mediæ partis per totum spatium vvv'v' maxime candida & clara cernitur. Quod latitudinem ejus attinet, videbis, eam, quo major est angulus incidentiæ radiorum, eo majorem & ampliorem esse, eandemque legem respectu distantiae, in qua imago a speculo reflectente excipitur, observare; ita ut, quo longior sit distantia hæc, eo etiam latior ipsa fiat. Medium hanc imaginis partem, seu spatium v'v'vv, in sequentibus *medium imaginis* seu *spectri* vocabimus.

Deinde

(d) Hanc medium imaginis partem interdum alios colores trahere posse ex part. prim. diff. nuperrime citatæ etiam patet

Deinde conspicies, hocce medium spectri utrinque tribus vel interdum, si lux fortissima & cubiculum valde tenebrosum est, quatuor iridibus contiguis ordinatum esse; quae irides, sibi invicem parallelæ, gaudent coloribus suis diversis maxime distinctis; quos si a medio versus utramque partem numerare incipis, in illo ordine esse invenies, ut primus sit color violaceus, postea cœruleus, deinde viridis, tum flavus & denique ruber, cui vicinus est color violaceus iridis sequentis, quæ colores suos in eodem ordine habet; sicut etiam cum tertia & quarta comparatum est. Quare, si cogites, spatia, in charta alba ex una parte medii imaginis sita, *v v c c* colorem violaceum, *c c w w* colorem cœruleum, *w w a a* viridem, *a a r r* flavum, & *r r u v v* rubrum, atque ex altera parte medii spectri spatia *v' v' c' c'* violaceum, *c' c' w' w'* cœruleum, *w' w' a' a'* viridem, *a' a' r' r'* flavum & *r' r' v' v'* rubrum colorem repræsentare, claram & ipsi experientiæ plane consentaneam ideam de situ & ordine colorum, qui irides proxime ad medium imaginis, ex utraque ejus parte adjacentes, pingunt, habebis. Si porro utrumque spatiorum *R R v v*, & *R' R' v' v'* concipiatur divisum in decem rectangula, quorum singulum ceterarum iridum colores eodem ordine & situ, ac nuper colores iridum diætarum, exhibeat; difficile non erit intelligere speciem, quam tota imago, a radiis, omnibus reflexis depicta, oculis revera ficit. Quod autem de latitudine spatii medii relatum fuit, idem de iridum earumque colorum latitudine valet.

Quo

Quo major nempe est angulus incidentiae radiorum lucis, & quo longius intervallum a speculo ad chartam, in qua imago excipitur, eo majores & latiores conspectui sese præbent irides, quæ inter se hanc legem semper observant, ut, quæ medio propiores sunt, majores remotioribus videantur. Hoc satis de specie imaginis, radiis reflexis depictæ, quippe quam unumquemque ex relatis et descriptis intelligere speramus. Jam vero ad interiorem ejus indolem considerandam pergamus.

Quemadmodum vero hoc phænomenon non vulgare spectaculum oculis fistit, ita etiam cuique de indole ejus dissertaturo, occurrit res, quas vix ac ne vix quidem per longas & molestas verborum ambages adeo clare exprimere valeat, ut istæ facile intelligi possint. Quum autem tales vocabulorum ambitus evitari debeant, & ipsa res, quam illi expriment, uno, si fieri possit, termino, naturæ ejus aliquantum respondentem, indicanda sit; nobis quidem, priusquam ad propositum veniamus, terminos quosdam technicos, in hac dissertatione non minus brevitatis quam perspicuitatis causa, adhibitos definire rationemque eorum reddere liceat.

Primum omnium indicare par est, quod phænomenon, supra descriptum & delineatum, *Diffractionem* luminis dicere nobis arrisit, quippe quum multa suadent, caussam hujus, quicumque generandi sit modulus

dus, in caussis, quibus lux prope corporum superficies transiens modo defle&titur modo infle&titur, quærendam esse; cuius duplicitis flexionis denominatio, per diffractionem expressa, neque inepta neque insolita est (e). Quæcumque deinde causa hujus phœnomeni sit; ab illa radii colorati, qui inter perpendicularum

---

(e) Hoc quoque phœnomenon constans & non fortuitum esse, cuius caussa e superficie speculorum adhibitorum forma, sive asperitatibus, ut excavationibus, eminentiis, rimis, non pertenda est, duplice ratione inducimur ad putandum: primum quod ope ejusmodi asperitatum eujuscumque figuræ probabilem semper & constantem explicacionem eruere non potuimus; tum quod, quamvis experimenta cum pluribus, quam viginti, speculis debitæ latitudinis vitreis ceperimus, imagines tamen jam descriptæ plane similes in unoquoque eorum consecuti sumus. Neque verosimile est, irides, quibus constat imago saepenumero commemorata, inter transitum luminis per foramen, vi legis deflexionis & inflexionis jam dudum cognitæ, conformatas & deinde e speculis ad chartam oppositam per reflexionem transmigratas esse. Si enim inde ortum suum peteret imago, una tantum a radiis, per foramen transmissis, ope reflexionis obtineretur, (posita nimurum hac lege, ut omne lumen immisum in speculum illuderet); experimenta vero, quæ cum tubis vitreis argento vivo repletis instituta fuerunt, quam plurimas imagines descriptæ similes præbuerunt atque eo luculenter probarunt, phœnomenon alia via esse resolvendum; ut ista silentio omittamus experimenta, cum speculis planis ita instituta, ut pars coni lucis incidentis, modo media modo extrema, in specula incurreret, quæque omnia nihilo tamen minus imaginem descriptam exhibuerunt.

pendiculum seu cathetum FT & FM coni totius lucis reflexæ RFR<sup>u</sup> siti sunt, versus cathetum torqueri, id est, inflecti, atque illi, qui infra axin FM loca sua tenent, a perpendiculo depelli, id est, deflecti videntur; quare radios illos coloratos, qui inter cathetum & axin FM, ut radii Fv, Fr, siti sunt, *radios inflexos*, & hos, qui infra axin nuper nominatum, utut radii Fv, Fr, jacent, *radios deflexos*, & irides quoque, quas radii inflexi construunt, *irides inflexionis*, ut v'v'', nec non eas, quæ radiis deflexis oriuntur, *irides deflexionis*, ut vv', appellare licet: Quum vero hæ irides plures sint utriusque generis & *deflexionis* & *inflexionis*, illas ita distingvere cupimus, ut eas irides, quæ ad medium imaginis proxime jacent, *irides primi ordinis*, istas, quæ has s. irides primi ordinis sequuntur, *irides secundi ordinis*, & illas, quæ deinde his seu iridibus secundi ordinis succedunt, *irides tertii ordinis*, vocemus; idque ea ex causa, quod intensitas colorum in iridibus medio spectri propioribus fortior, quam in remotioribus, existat. Porro nobis placuit irides deflexionis & inflexionis, quæ ejusdem ordinis sunt, *irides homologas*, ut vv, v'v'', & radios ejusdem coloris, qui irides homologas constituunt, *radios homologos*, ut Fr, Fr', nuncupare. — Præterea illum angulum, quem quisque radiorum inflexorum cum catheto format, *angulum inflexionis*, ut TFv, & istum, quem unusquisque radiorum deflexorum constituit ad cathetum, *angulum deflexionis*, ut TFv, nominabimus; atque angulum, qui a radiis inflexis cum

cum axe FM coni lucis reflexæ efficitur, *angulum inflexum*, ut  $1Fv'$ , nec non illum, quem radii deflexi ad axin $\parallel$  TM faciunt *angulum deflexum*, ut  $1Fv$ , dicere voluimus, rati, nos in his angulis denominandis ab ipsa rei indole non longius, quam in angulis phœnomeni refractionis definiendis factum fuit, aberrasse.

Definitis jam denominationibus adhibendis, ea, quæ nobis proposuimus tractanda, exponenere ordo jubar. Quisquis ad descriptionem præcipue & ad figuram etiam imaginis, reflexione radiorum obtentæ, animum vel minime attentum vertens intelligit, diversos colores, cujusecumque ordinis irides seu deflexionis seu inflexionis depingant, diversos angulos deflexos et inflexos, atque diversos angulos deflexionis & inflexionis facere, & angulos $\parallel$  etiam illos, quos radii ejusdem generis in iridibus ejusdem ordinis formant, sub diversis, angulis incidentiæ diversos esse. De his vero angulis, imagine ex radiis, e speculo sic dicto vitro percussis, effecta, in præsenti ita agere nobis est consilium, ut primum magnitudinem eorum pro radiis diverse coloratis in tribus iridibus utriusque generis & deflexionis & inflexionis determinare, deinde diversam ipsorum rationem ad angulum communem incidentiæ SFT investigare, & demum in id inquirere, an causa diversæ magnitudinis, quam imagines, a radiis sub diversis angulis incidentiæ pictæ, habent, e quodam casu reflexionis tota quanta derivanda sit, pro virili conemur,

conenieur, censuram tuam, C. L, hujus periculi enixe  
expetentes.

Si radii diverse colorati tam inflexi quam de-  
flexi e puncto communi speculi F reflekti ponuntur,  
& si porro linea GH ad axin lucis FI perpendicula-  
riter ita ducitur, ut omnes radios coloratos tam de-  
flexos, quam inflexos ut in punctis  $x^I, x^{II}, x^{III}, x^{IV}$  &  $x'$ ,  
 $x''$ ,  $x'''$ ,  $x^{IV}'$  secet; erunt triangula illa, quæ tum ra-  
dii lucis diversi coloris cum axe FI & parte lineæ  
GH, inter I & illos ipsos radios intercepta, ut  $Ix^I$ ,  
 $Ix^{III}$ ,  $Ix^{IV}$  &  $Ix'$ ,  $I^{III}x$ ,  $I^{IV}x$  (quam partem, ut pro va-  
riis coloribus variam  $x$  vocare volumus) formant re-  
ctangula ad I, ut triangula  $IFx^I$ ,  $IFx^{II}$ , &  $IFx', IF^{III}x$ .  
Quare, facta linea FI =  $d$ , & Sinu toto = 1 est  $d:x:I$ :  
ad tangentem anguli illius, quem radius coloratus,  
partem illam  $x$  lineæ GH secans, sive deflexus sive  
inflexus, cum axe FM seu FI constituit, & proinde  
tangens uniuscujusque anguli deflexi vel inflexi erit

$$= \frac{x}{d}, \text{ vel sinus ejusdem anguli} = \frac{x}{\sqrt{(d^2+x^2)}}; \text{ quare etiam,}$$

$$\text{facto angulo incidentiæ} = b, \text{ sinus anguli deflexionis}$$

$$\text{ejusdem radii colorati invenietur} = \frac{d \sin. b + x \cos. b}{\sqrt{(d^2+x^2)}},$$

$$\text{et inflexionis} = \frac{d \sin. b - x \cos. b}{\sqrt{(d^2+x^2)}}. : \text{ tamen ingenue pro-}$$

sitemur, formulas has ad sinus deflexionis vel infle-  
xionis inveniendos non esse magnopere commendan-

das, quoniam, angulis deflexis vel inflexis & angulo TFI (quem incidentiae aequalem semper ubique esse experientia docuit) cognitis, magnitudo angulorum deflexionis & inflexionis & proinde sinus eorum, si ille quaeratur, ope Logarithmorum, multo facilius reperitur. Quia vero in valore tangentium angulorum quæsitorum, jam invento, quantitas ignota  $x$  adest, experimentis determinanda; indicare fas est viam, qua ad cognitionem ejus pervenimus.


Quum latitudo imaginis, radiorum reflexione ortæ, sub diversis angulis incidentiæ diversa sit, (quamvis speculum ejusdem materiæ adhibeatur; perspicuum est, diversos valores, quos quantitas  $x$  habere potest, a maximo usque ad minimum sub diversis angulis incidentiæ diversos esse; hoc sibi vult, in eadem distantia a speculo, sub diversis vero angulis incidentiæ, erit quantitas  $x$  diversæ magnitudinis in triangulis, quæ a radiis ejusdem coloris, in iridibus ejusdem ordinis fitis, atque ab axe lucis reflexæ formantur; unde apparent, tot experimentis, quot sumuntur anguli incidentiæ, ad quantitatem  $x$  cognoscendam opus fore. Quia autem rati sumus, quantitatem  $x$  sub diversis angulis incidentiæ, quamvis variabilem, proportionem tamen quandam constantem assiduo observare, & proinde quædam tantum experimenta consilio nostro sufficere; sub angulis itaque incidentiæ graduum 85, 80, 75, ea instituimus, & pro angulo incidentiæ 85 gr. valorem  $x$  ita determinare tentavimus.

Fecimus

Fecimus primum, ut radii Solis, qui per foramen, dimidiam partem lineæ geom. Svec. latum & duas lineas altum, transmittebantur, in speculum vitreum verticaliter positum, dimidium lin. geom. Svec. latum, septem lin. longum, marginibus elevatis non istructum, nec non a foramine duos pedes cum dimidio distans, horizontaliter inciderent & ex illo reflecterentur in chartam albam, intervallo decem pedum a speculo interjecto, versus axin coni radiorum reflexorum ad perpendicularum positam, ita ut intersectionem chartæ linea GH & partes hujus lineæ  $v'c' c'w' w'a' a'r', r'v'$  etc. atque  $vc$ ,  $cw$ ,  $wa$ ,  $ar$ ,  $rw$ , etc. diametros penecillorum coloratorum irides depingentium repræsentent. Tum stilo acutissimo loca chartæ, ubi confinia diversorum colorum distinctissime videbantur, perforavimus, & postremo distantias inter foramina hæcce vel minima interjectas accuratissime mensuravimus & magnitudinem earum h. e. latitudinem colorum annotavimus. Hoc experimento saepissime iterato & latitudinibus colorum inventis semper litteris consignatis, invenimus, medio arithmeticō inter latitudines observatas ejusdem coloris, in iride ejusdem ordinis siti, sumto, diametrum medii imaginis esse == 6, 90, lin. geom. & latitudinem colorum, qui tres irides deflexionis constituunt, in iride videlicet ordinis primi coloris violacei == 0,83, (f) cœrui

---

(f) Latitudines colorum in tota dissertatione partibus lin. geom. Svec. expressas esse hic admonere nos juvat.



lei == 0, 85, viridis == 0, 94, flavi == 0, 86, rubri == 0, 87,  
 atque ipsius iridis == 4, 35, in iride secundi ordinis lati-  
 tudinem coloris violacei == 0, 76, cœrulei == 0, 80, viri-  
 dis == 0, 88, flavi == 0, 80, rubri == 0, 82, & latitudinem  
 iridis == 4, 06, nec non in iride tertii ordinis, latitudi-  
 nem coloris violacei == 0, 70, cœrulei == 0, 72, viridis  
 == 0, 80, flavi == 0, 73, rubri == 0, 75, uti etiam hujus  
 iridis latitudinem == 3, 70, & proinde summam latitu-  
 dinum trium iridum == 12, 11. Si jam huic valori ad-  
 datur dimidium latitudinis medii spectri, oritur valor  
 == 15, 56, quem quisque facile videt pro tribus iridibus  
 deflexionis esse maximum, qui pertinere potest ad quan-  
 titatem  $x$  quaesitam, æqualem lineæ  $Ix^{iv}$ . Simili modo  
 summus valor quantitatis  $x$  seu  $I^{iv}x$  pro angulis inflexis  
 trium iridum determinandis inventus est == 15, 58; in  
 experimento enim valores latitudinum colorum singu-  
 lorum in tribus illis iridibus inflexionis tales obtenti  
 sunt: coloris nempe violacei in iride primi ordinis  
 == 0, 83, cœrulei == 0, 84, viridis == 0, 95, flavi == 0, 86,  
 rubri == 0, 89, & ipsius iridis proinde == 4, 37. in iride  
 secundi ordinis coloris violacei == 0, 77, cœrulei  
 == 0, 78, viridis == 0, 88, flavi == 0, 81, rubri == 0, 81,  
 & hinc ipsius iridis == 4, 05, atque demum in iride  
 tertii ordinis coloris violacei == 0, 70, cœrulei == 0, 73,  
 viridis == 0, 80, flavi == 0, 73, rubri == 0, 75, & iridis  
 == 3, 71, nec non trium iridum simul sumtarum == 12, 13,  
 Quæ igitur summa toti latitudini iridum trium de-  
 flexionis fere æqualis inventa est. Quum insuper  
 comparatione inter latitudines colorum homologorum  
 facta;